

EPIGRAMMA

JOHANNIS KEPLERI Mathem. Cæs.

**Q**uod peragunt numeris authorum dogmata centum :  
 Unâ intexta ROTA cuncta *Avianus* agit.  
 Ergò gerunt digiti celebres Rationis honores ;  
 Sensus & argutæ munia mentis obit.  
 Quis novus hic *Rektor*? quo sese authore potestas  
 Venditat ista? tibi tantum *Aviane* licet?  
 Fallor, an una tibi est cum Magno Cæsare causa:  
 Jus omne in victam Pallada victor habes!

**E**N Tibi, queis ludas, talosq; abacumq;, juvenus!  
 Queis animum exacuens otia lenta fuges.  
 Scilicet, ut pueris, quos primos tradere ludo  
 Mens est, offerimus crustula blanda senes:  
 Sic, quem deterret caper atâ fronte mathesis,  
 Hoc abaco, his talis alliciendus erat.  
 Sunt abacus tabula, sunt piætympana cyclicæ:  
 Talorum fuerint instar at indiculi.  
 Ergò hos, misomathes, talos gratâ arripe dextrâ,  
 Et vacuis horis volve per has tabulas.  
 Haut operæ hîc unquam facies mala damna, nec æris:  
 Fortiter as, operam hîc prodige; dives eris  
 Dives eris, factusq; novi dulcedine rivi  
 Philomathes, de ipsis fontibus usq; petes.  
 Quod fluat eximius, debetur gratia fonti,  
 Rivus: & à rivo fons quoq; nomen habet.  
 Proditur à rivo fons tandem: tramite longo  
 Autorem quamvis occuluisse putes.

L. Philippus Müller Prof. Math. publ. in Acad. Lips.

**Q**uod veteres magno & multo molimine dudum  
 Per numeros tentant, vix tamen efficiunt:  
 Hoc *Aviane* novo tradis faciliq; labore;  
 Dirigere artifici sidera cuncta modo.  
 Ecce tuum ad cœlos feret hæc Inventio nomen!  
 Famaq; durabit, dum polus astra rotat.

Sic Amico applaudie  
 VWilhelmus Schickart Prof. Tubing.

INDEX